





10
48
COLLEGII FEUDALIS

DISPUTATIO III.

De

PERSONIS, DAN-

TIBUS ET ACCIPIEN-

TIBUS FEUDUM

Quam

Divinâ aspirante gratiâ,

In celeberrima VVitebergensium,

Academia

SUB PRÆSIDIO

HELFRICI ULRICI HUNNII

Marpurgensis Hessi J.U.D.

Privati exercitij causa proponit

ERNESTUS GEXAUS

Quedlinburgeensis Saxo.

Ad diem 6. Jun. horis 8. lo-

co solitis.

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Gormanni.



Clarissimo & Consultissimo

VIRO

Dn. IOANNI PFREUNDIO I. U. D.

*Patrono ac favitori suo perpeti animi obser-
vantia submissè colendo*

Ut &

Amplissimo & prudentissimo Viro

DN.

IOAN-GUNTHERO GENLICH

*Parenti suo filiali amore
prosequendo*

Exercitium hoc feudale di-
cat & offert

Respondens.



DISPUTATIO FEUDALIS III.

De

His qui feuda dare & accipere possunt.

THESIS I.

Remissis feudorum preludiis, nunc ad eorundem naturam & constitutionem propius accedamus, & quinam feudum dare, & qui accipere possint videamus.

II. De utrisque, verò, tam feudum dantibus, quàm de accipientibus, Feudicta Ictus regulas proponit distinctas atque diversas: Et de prioribus quidem hanc: Quod omnes qui legitimam habeant bonorum suorum administrationem feuda dare possint tit. 3. lib. 2. Feud. & ibid. Alvarot. Schenck Baro & Cujac.

III. Quibus verbis controversia illa intricatissima expressè decisa videtur, qua, utrum etiam quis paterfam. plebejus feudum dare possit? Inter FF. acriter disceptatur. Cum enim & hic Dominus sit bonorum suorum, & quod presupponimus, C. 2. tamè in subj. 2 attendente libe-

*liberam legitimamque habeat eorundem admini-
strationem; Quid, quæso, obstabit, quo minus illa
infeudare possit?* Zas. part. 5. n. 31. Sneider. in
Epit. feudali. part. 3. n. 69. Rosenthal. in synopsi
feud. cap. 3. conclus. 2. n. 2. Borchold. cap. 5. n. 41.
Sonsbec. part. 6. n. 15. Schenck Baro in tit. 1. in prin.
v. Marchiol. 1. Feud. Jan. de Arcedura in conclus.
feud. cap. 2. conclus. 2. n. 4. & seqq. Alverot. ad tit.
3. lib. 2. Feud. Ruding. libr. 1. var. lect. feudal. capt.
25. Bocero de investit. feud. cap. 3. n. 113. Diss. Fran-
cisc. Duaren. in comm. feud. cap. 6. n. 9. Curt. Jun.
part. 2. quæst. 4. n. 12. Johan. Niell. in disput. feuda.
thes. 2. Fachin. 7. controv. 64.

*IV. Sic etiam quod nonnulli Fæminam de bonis
suis, quorum liberam habet administrationem,
feudum constituere posse negant, ex eadem regula
manifesti erroris convincitur.* tit. 1. in prin. libr. 1.
F. & d. tit. 3. § 1. v. Fæminam lib. 2. F. Vult. lib. 1. de
feud. cap. 3. n. 9. Schenck Baro & Alvarottus ad d.
tit. 3. v. Fæminam. Sonsbec. part. 6. n. 17. Duar. c. 6.
n. 11. Zas. part. 5. n. 33. Ritt. c. 5. quæst. 22. Johan.
Ruding. lib. 1. var. lect. feudal. c. 38. Jan. de Arce-
dura cap. 2. concl. 2. n. 25. Diss. Hot. & Cujac. ad d.
tit. 3. v. Fæminam.

*V. Ut & illud, quod novissimè contra omnium sen-
tentiam asseruit Bocerus: Filium f. bona sua adven-
titia*

titia, in quibus plenam habet proprietatem in feuda dare non posse: ex eadem regula abunde refutatur, Adde Nov. 117. cap. 1. l. fin. § 5. v. Filiis a. familias. C. de bon. quæ lib. vide Bocer. in tract. de investit. feud. c. 3. n. 48.

*1. Rep. 21.
2. Rep. 46. 17.*
VI. Quin etiam usque eò extendit regula ista, ut & summum Imperatorem in se complectatur: Hic n. de bonis alienis, suorumque subditorum feudum dare non potest, ne quidem ex plenitudine potestatis; cum Dominus illorum non sit, nec liberam habeat administrationem arg. cap. 17. Deuter. l. 3. C. d. rescend. vendit. l. 7. C. de præcib. Imp. offer. c. unic. tit. 7. lib. 1. Feud. Frider. pruckman. in tract. de Regalib. cap. 4. effect. 5. Bodin. l. 1. de Republ. c. 8. Niell. disp. 2. Feud. th. 3. lit. c. Sarmient. l. 1. select. Interp. c. 8. n. 14. & seqq. Zas. ad l. princeps 31. ff. d. LL. n. 13. & seqq. Hotom. Ill. quæst. 1. Gail. 2. obs. 56. Covarr. 3. Resolut. 6. n. 6. Alberic. Gentil. disputat. 1. Regal. Vide etiam Henning. Arnif. lib. 3. de juribus Majestat. minor. c. 1.

VII. Ac ne quidem tunc, cum Reip. utilitas id postulare, videtur: Nisi justum Domino refundatur premium l. 13. § 1. ff. Com. præd. l. 2. C. pro quibus caus. serv. pro præm. & arg. l. 10. ff. de Just. & jur. § 3. instit. eod. l. 14. ff. de condict. indeb. l. 17. ff. d. R. Jur. Vasq. lib. 1. Illustr. controv. quæst. 5. Pruckman
inlo-

in loco prox. citat. Niell. d. thes. 3. lit. d. Gail. d. obs. 56. n. 8. Diss. Zasius ad L. princeps 31. n. 22. & lib. 2. Consil. 1. n. 23. & seqq. Henning. Arnif. d. c. 1. n. 12.

IIIX De bonis vero propriis ac patrimonialibus, sicut quisvis alius paterfam. feudum indubiè constituit ex superiori regula Imperator, siquidem horum Dominus est ac liberam habet legitimamq. administrationem. Hotom in illustr. quæst. 1. Borch. in Tract. feud. cap. 5. n. 22. cum sqq. Sneidevvin. in Epit. feud. part. 3. n. 51. & sq. Duaren. in com. feud. cap. 6. n. 7. Rittersh. in partit. feud. c. 4. quæst. 15. & 16.

*De manichæ
Bonis*

IX. De bonis imperii, utrum etiam de his Imperator feudum possit de novo constituere, dubitat Boccerus ac tandem quoq. negativè concludit, haud frivolis rationibus ductus, quæ tamen non ejus sunt momenti, ut à communi opinione quenquam dimovere debeant. vide Anton. peregr. de jur. fisci lib. 1. Schrader. in tract. feud. part. 4. c. 1. n. 7. & sq. Matth. Steph. in tract. de Juris l. 2. part. 1. c. 1. mebr. 1. n. 81. & sq. Vult. in com. feud. lib. 1. cap. 5. n. 15. Sneid. part. 1. n. 32. Dis. Boccer. in tractat. de investit. feud. cap. 3. n. 66.

X. Caterum duo esse hominum genera, quib. feudū dare non licet, ex proposita regula haud obscure colligi-

colligitur. Sunt enim quidam, qui administrationē bonorum habent legitimam; nec tamen domini sunt illorum bonorum; Et sunt è contra, qui Domini sunt bonorum suorum; sed eorum administrationem liberam non habent.

XI. Prioris generis sunt procuratores, tutores & Curatores. Procuratores duplicis sunt generis: Quidam enim cum libera administrandi potestate constituuntur; Et quidam simpliciter absq; libera constitui solent. l. 9. §. 4. ff. de Acquir. rer. dom. §. Nihil. Instit. d. R. divis. l. 58. ff. de procurat. junct. l. 63. ff. Eod. Dn. Val. Guilhelm. Forsten. in tractat. de pact. cap. 5. diss. Donell. 4. Com. 15

XII. Quorum posteriores cum absq; speciali mandatu bona, quorum administrationem habent, alienare non possunt, exceptis fructibus & aliis rebus, que facile corrumpi possunt, consequens est, ut nec feudum, sine speciali mandatu Domini de bonis ejus dare possint. d. l. 63. ff. de procurat. Schrader. in tract. feud. part. 4. cap. 7. n. 68. & sq. Rosenth. cap. 3. conclus. 9. & communiter FF.

XIII. Qui v. procuratores liberā habent admistrādi potestatem, uti liberè ac licitè quasvis res Domini alienant; ita quoque procul dubio easdem in feudum concedere possunt, si id è re Dn. esse putarint arg. l. 58. ff. d. procurat. l. 9. §. 4. ff. de Acquir. rer. dom. §. Nihil. *Idem tamen erit, si habeat speciale non* Nihil
dubium Vlt. c. 7. n. 32. Geol. d. f. 3. b. 12. f. F.

Nihil. J. de R. divis. Vide Zasium in Epit. Feudal.
part. 5. n. 40. & 41. Bocer. de investit. feud. c. 3. n.
52. Rosenth. c. 3. concl. 9. Schrader. in tract. feud.
part. 4. cap. 1. Johan. Niell. in disput. feud. 2. th. 2.
lit. b. Sonsbec. part. 6. n. 28. Vultei. d. libr. 1. Feu-
dal. c. 3. n. 2. Schrad. in tractat. feudal. part. 4. c. 1. n.
70. & 71.

XIV. *Tutores quoque & Curatores, quia res pu-
pillorum ac minorum, neque mobiles, neque immobi-
les alienare possunt, nec de illis feuda constituere
poterunt* l. 22. C. d. admin. tut. junct. tit. 3. § 1. lib. 2.
Feud. Zas. part. 5. n. 40. & sq. Sneidevvin. part. 3.
n. 86. Vult. lib. Comment. feud. cap. 3. n. 2. Bocer.
d. investit. feud. c. 3. n. 53. & sqq.

XV. *Sed quid, si magistratus decretum interve-
nerit? Ne sic quidem feudum de bonis minoris dari
posse, verius est.* arg. l. 12. C. de præd. minor. Hen-
ricus Bocer. in d. c. 3. n. 54. Vult. d. c. 3. n. 6. Diss. Schra-
der in tract. feud. part. 3. c. 1. Zas. in Epitom. feud.
part. 5. n. 41.

XVI. *Feudatamen vetera, etiam sine pupillo-
rum ac minorum presentia renovare possunt: cum
hoc videatur pars esse legitime administrationis.*
Sneidevv. d. part. 3. n. 86. Sonsbec. part. 6. n. 28. Vult.
d. c. 3. n. 2. Zas. part. 5. n. 40. 2. f. 3.

Quare

XVII. *Quare omnes, qui administrationem bonorum habent; Dominium vero non item, feudum novum dare non possunt. E quorum tamen numero excipi solent personæ Ecclesiastica, quas constat Ecclesie bona administrare solum: Et tamen eadem infeudare posse: Quare de re i in prox. disputat. Vide interim tit. 1. in pr. lib. 1. Feud. Intrigl. quæst. 53. Curt. Jun. 2. part. princ. quæst. 11. n. 2. Vult. in d. cap. 3. Sneidevvin. d. part. 3. Borchold. in d. part. 5.*

XVIII. *Porro ex illis qui Domini sunt bonorum suorum, nec tamen legitimam ac liberam habent administrationem, primum locum tenent pupilli; quos absque auctoritate tutorum de novo feudum dare non posse, expeditum est. arg. tot. tit. Inst. & Dig. de Auctor. tut. junct. d. tit. 3. §. 1. lib. 2. Feud. Duaren. in com. feud. cap. 6. n. 10. Sonsbec. part. 6. n. 18.*

XIX. *Idemque statuendum videtur et si Tutorum ac curatorum auctoritas, unà cum decreto judicis intercesserit: Quia ne sic quidem bona alienare possunt, nisi magnâ ad hoc necessitate compellantur. d. lib. 22. C. d. admin. tut. Vult. d. cap. 3. n. 6. Sneidevvin. part. 3. n. 83.*

XX. *Vetus tamen feudum tutoris ac curatoris auctoritate & consensu removere non prohibetur: Consilio tamen tenentur is, Bz. & f. di. argu. tur: sit, it. Magistratum. Vult. d. cap. 3. n. 6. Sneidevvin. part. 3. n. 83. Vult. d. cap. 3. n. 6. Sneidevvin. part. 3. n. 83.*

*tur : Maximè cum id ipsis expressè jure feudali
permissum sit in tit. 3. lib. 2. Feud. ibidemque Ho-
tom. & Schenck Baro. Sneiderwin in d. part. 3.
n. 79.*

*XXI. Verùm num & ipsis solis absque tutoribus
& curatoribus idem liceat? non, perinde expedi-
tum est: Affirmantium tamen sententia tutior ac
de jure nostro verior videtur per textum in d. tit. 3.
lib. 2. F. Vult. in com. feud. cap. 3. n. 7. Jan. de Ar-
cedura in conclus. feudal. cap. 2. conclus. 5. Zas. in
Epitom. feud. part. 5. Diss. Hotom. in tit. 3. in pr.
lib. 2. F. Duaren. in comm. feud. cap. 6. n. 10. Sons-
bec. part. 6. n. 19. & seqq. Johan. Henric. Linck. in
tract. feud. part. 3. n. 3.*

*XXII. Quod, cum in illis minoribus procedat,
qui sub curatorib. sunt, multo magis in iis obtinebit,
qui planè sui sunt juris, nec ullius in potestate con-
stituti arg. l. 3. C. d. restit. in integr. minor.*

*XXIII. Quin & hos de novo feuda constitue-
re posse omnino dicendum videtur: Cum enim Do-
mini sint honorum suorum liberamq; illorum ac le-
gitimam administrationem habeant; Quid obstaret
quo minus eadem possint in feudum dare? d. l. 3.
junct. d. tit. 3. lib. 2. Feud.*

*XXIV. Infantes verò, furiosos, mente-captos
ac prodigos feudum dare non posse, expeditum est;*

Non

Non modò eam ob caussam, quod bonorum admini-
stratio illis adempta sit; sed etiam quod intellectu
& animi iudicio destituantur: Ob quam etiam
caussam nec feudum vetus eos renovare posse palàm
est. Duaren. in comm. feud. cap. 6. n. 10.

XXV. Sed quid, si tutoris auctoritas, aut consen-
sus curatoris accesserit? Quoad furiosum, mente-ca-
ptum & prodigum idem adhuc dicendum erit: In-
fans verò auctoritate tutoris feudum vetus reno-
vare poterit arg. l. in negot. ff. d. R. Jur. l. 32. ff. de
Acquir. vel amit. poss.

XXVI. Mutum & Surdum, maxime, verò
eum, qui utroque morbo simul laboret, feudum da-
re posse, negavit Hotomannus: Verum con-
traria opinio veritati magis consona videtur, arg.
l. 33. §. mutus ff. d. donat. Sonsbec. part. 6. n.
26. Vultejus d. capt. 3. Diss. Hotom. in disputat.
feudal. cap. 11.

XXVII. Et tantum de personis feudum consti-
tuentibus. Sequitur dicendum de personis quæ feu-
da accipere possunt; De quibus hanc regulam Feu-
dista proponit, quòd persona investituram accipi-
entis distinguenda non sit. tit. 3. vers. personam. lib.
2. Feud.

XXVIII. Omnes igitur omnino, nullà sexus,
etatis, statù, ordinis aut qualitatis differentiã babi-

ta feudum licitè accipiunt. Vult. in tract. feudal
cap. 4.

XXIX. Quapropter tam Foeminis, *quàm* Ma^{c. i. f. in}
sculis *feudum dari potest* d. tit. 3. v. *personam lib*
2. F. Vult. in com. feud. lib. 1. cap. 4, n. 5. Sonsbec.
part. 7. n. 17. Anton. Cont. de feud. cap. 6. Duar. in
com. feud. cap. 6. n. 15. Sneidevvin. in E pit. feud.
part. 3. n. 98. Zal. in Epit. feud. part. 5. n. 65. Schö-
ner lib. 1. disputat. feud. 2. th. 53. lit. b. Borcholt in
com. feud. cap. 5. n. 44. & seqq. Wes. de feud. cap.
5. n. 2. Menoch. vol. 1. consil. 65. Diss. Hotom. in
disput. feud. cap. 13. Mozz. de feud. cap. 3. n. 34. Petr.
de Bella Pertica de feud. cap. 4.

XXX. Et tam minorennibus quam Majorenni-
bus; *adeò ut* § infans *auctoritate sui curatoris*
feudum rectè accipiat arg. lib. 22. ff. de acquir. vel
amitt. poss. Sneidevvin. in Epitom. feud. part. 3. n. 100.
Intrigl. de feud. quaest. 54. n. 29. & seqq. Bocer de
investit. feud. n. 135. & seqq. Diss. Vult. lib. 1. Feud.
cap. 4. n. 6. Zal. part. 5. Epit. feud. n. 66. Mozz. cap.
3. n. 36. Sonsbec. part. 7. n. 16. Borchold. cap. 5. n.
46. West. in comm. feud. cap. 5. n. 6.

*XXXI. Impubes proximus infantiae auctori-
tate tutoris itidem feudum novum accipere potest:*
*Sine tutore verò non item; cum in hac etate con-
stitutus nec ipse intelligat quid agat* §. in summa
Instit.

Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc. Vide Bocer.
de investit. feud. cap. 3. n. 136. Borcholt. d. feud. ca.
5. n. 46. Sneidevvin. part. 3. n. 100. Wes. in com.
feud. cap. 5. n. 6. Mozz. cap. 3. n. 36. Intrigl. quæst.
feud. 54. n. 29. & seqq. Niell. disput. feud. 2. th. 5.
lit. b. Sonsbec. part. 7. n. 16. Vult. lib. 1. de feud. cap.
4. n. 6.

XXXII. *Idemque de impubere pubertati proximo
ut & de pubere minorenni statuendum videtur; ut
nempe auctoritate ac consensu tutoris & curatoris
feuda possint accipere: Sine curatoribus vero &
tutoribus non possint.* arg. l. 1. ff. d. minor. pr. J. de
curat. l. 3. c. de restit. in integr. minor. pr. & tot. tit.
J. de auctor. tut. Sonsbec. in tractat. feud. part. 7. n.
15. Diss. Rosenthal. cap. 3. concl. 8. n. 3. & 4. Bor-
cholt. cap. 5. n. 46. Forner in tractat. feud. cap. de
his qui feud. accip. poss. in pr. Anton. Cont. de feud.
cap. 6. Wesenb. de feud. cap. 5. n. 5. Zas. part. 5. n.
5. Vult. cap. 4. n. 6. Sneidevvin. part. 3. n. 100. Dua-
ren. cap. 6. n. 16. Bocer. de investit. feud. c. 3. n. 137.
& seqq. Niell. disput. 2. Feud. th. 5. lit. b.

XXXIII. *De pubere illo, qui curatorem non
habet, dubium non est, quin per se solus absque in-
termedia persona feudum accipiat, cum licitè con-
trahere & contrahendo se obligare possit.* l. 3. C. de
restit. in integr. minor.

B 3

Por

XXXIV. Porro feuda accipere posse omnes, nulla habitâ status ratione ac differentia, diximus: Unde sequitur & Servis feudum dari posse. d. tit. 3. lib. 2. F.

XXXV. Servi autem vel sunt proprii, vel alieni: Et tam his, quàm illis feudum potest dari: Hoc tamen discrimine observato; ut si dominus proprio suo servo feudum dederit intelligatur hoc ipso simul libertatem ei dedisse: Nisi forsitan ignorarit hunc, cui feudum dedit, esse servum suum d. tit. 3. vers. personam. arg. l. Non minus in pr. ff. de hered. instit. l. super Servis C. qui milit. poss. §. Ser. à Dn. Inst. de hered. Inst. l. 2. ff. de jurid. In trigl. de feud. quæst. 54. n. 6. & seqq. Vult. lib. 1. de feud. cap. 4. n. 7. Sonsbec. part. 7. n. 21. Alverot & Schenck. Baro ad d. tit. 3. v. personam. Borcholt cap. 5. n. 47. Ruding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 22. Duaren. de feud. capt. 6. n. 14. Zas. in Epit. feud. part. 5. n. 62. Johan. Henr. Linck. part. 3. n. 18. Wefenb. de feud. cap. 5. n. 7. Mozz. in tractat. feud. tit. de his qui feud. accip. poss. n. 31. Pet. de Bella pertica in tractat. feud. c. 4.

XXXVI. Alieno servo feudum contemplatione domini datum, ipsi domino acquiratur. l. placet. ff. de Acquir. heredit. §. 4. Inst. per quas person. nob. acquir.

XXXVII. Idemq; sit, etsi dominus non expresse ser-

se servo alieno feudum contemplatione domini de-
derit arg. l. si reptendi C. d. donat. ob caus. & §. 4.
Instit. per quas person. nob. acquir.

XXXIIIX. Quod si servo alieno feudum sic fuerit
datum, ut illud sibi retineret, nec domino acquire-
ret, placet neutri acquiri nec domino, nec servo. arg.
Auth. excipitur C. de bon. quæ libr. junct. l. super
fervis C. qui milit. poss. l. quod attinet. ff. de R. Jur. l.
49. §. 1. ff. d. acquir. poss. l. 10. §. 1. ff. d. Acquir.
rer. dom.

XXXIX. Nisi forsan Dominus servum suum ma-
numiserit: Aut vero sciat servo suo hac conditione
feudum dari ipseque taceat ac patiatur. arg. l. 3.
C. de instit. & subst. super l. servis v. si vero scientibus
his C. qui milit. poss. l. 2. ff. de jurisdic. Nicol. In trigl.
de feud. quæst. 54. n. 15 Vult. d. cap. 4. n. 7. Schenck
Baro ad d. tit. 3. v. personam lib. 2. Feud. Bocer. de
investit. feud. cap. 3. n. 32. Linckius d. part. 3. n. 18.
Ruding. d. cap. 22.

XL. Cum igitur servo dari possit feudum, mul-
to magis dari poterit filiofam. ut qui non solum ju-
ris civilis communionem habeat, servitiaq; milita-
ria prestare possit; verum etiam res proprias habe-
re ac possidere valeat, Borch. de feud. c. 5. n. 47. Vult.
de feud. c. 4. n. 8. Ritt. in partit. feud. c. 6. quæst. 7.
Sonsbec. part. 7. n. 6. Sneidevvin. part. 3. n. 98

41. Sed

XLI. Sed utrum filiusfam. feudum sibi concessum acquirat patri, an verò sibi retineat? Valdè est controversum. Verius tamen videtur feudum hoc casu patri non acquiri; arg. tit. 23. in fine libr. 2. F. Authent. Excipitur C. de bon. quæ lib. Schrad. part. 7. c. 6. n. 6. & seqq. Wesenb. de feud. cap. 5. n. 4. Borcholt. cap. 5. n. 48. Vult. lib. 1. cap. 4. n. 4. Rûding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 42. Jan. de Arcedura in conclus. feud. cap. 2. conclus. 6. Sneidevvin part. 6. n. 7. Schöner. lib. 1. Disp. feud. 2. thes. 58. lit. a. & C. Zas. part. 5. n. 48. Mynsing. Respons. 92. n. 24. Diff. Vult. d. feud. cap. 4. n. 8. Ritterf. in part. feud. cap. 6. quæst. 7. Sonsbec. part. 7. n. 6. & sqq. Borchold. de feud. capt. 5. n. 47. Sneidevvin. part. 3. n. 98.

XLII. Præterea feuda quosvis, diximus, accipere posse, nulla ordinis ac dignitatis habitâ differentia. Hinc Rusticus sine plebejus qui vis feudum rectè accipiet. Forcat. in tractat. feudal. capt. 4. n. 20. Intringl. quæst. 54. n. 65. Sonsbec. part. 7. n. 19. Mozz. cap. 5. n. 40. Johan. Henric. Linck. part. 3. n. 19. Sneidevvin. part. 3. n. 104. Henric. Bocer. de investit. feud. cap. 3. n. 149. & seqq. Zas. in Epit. feud. part. 5. n. 68. Schrad. in tractat. feud. part. 4. c. 3. n. 7.

Non.

XLIII. *Non tamen per hoc Nobilitatem aut dignitatem sibi acquireret: cum feudum per se, nobilitandi potestatem non habeat: sed omnis nobilitas à voluntate & potestate nobilitandi, concedentis feudum dependeat; ut supra diximus disputat. 2. thes. 44. & seqq. Diss. post Alverot. in cap. 10. libr. 2. F. Zasius in Epit. feud. part. 5. n. 68. Rittersh. in part. feud. cap. 6. quæst. 12. Duaren. in tractat. feud. cap. 6. n. 17. Sonsbec. part. 7. n. 18. & seqq. Mozz. de feud. cap. 3. n. 40.*

XLIV. *Et hinc etiam inferior à superiori feudum accipere potest Vult. d. cap. 4. n. 9. & 10. Conrad. Rittershus. c. 6. quæst. ult. Intrigl. quæst. feud. 54. n. 79. Shrader. part. 4. cap. 3. n. 11. Niell. in thes. 6. in fine.*

XLV. *Quid igitur, si nulla ordinis habetur differentia, de Clericis dicendum num & illi feudum accipere poterunt? placet affirmantium sententia. Vult. de feud. cap. 4. n. 9. Wescnb. in comm. feud. cap. 5. n. 2. Borcholt. cap. 5. n. 49. Anton. cont. de feud. cap. 6. Intrigl. d. quæst. 54. n. 60. & seqq. Ruding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 83. Duaren. in com. feud. cap. 6. n. 18. Henric. Bocer. in tractat. de investit. feud. cap. 3. n. 145. Sonsbec. part. 7. n. 3. Diss. Hotom. disput. feud. 12. Johan. Niell. disput. 2. Feud. th. 6. Mozz. de feud. in tit. quibus ex caus. feud.*

feud. amitt. Zasius part. 5. n. 71. Petr. de Bella Per-
tica in tractat. feud. cap. 4.

*XLVI. Idemque in Monacho quoque recipien-
dum videtur, ut tamen hic feudum sibi concessum
non retineat; sed monasterio, cui se suaq; mancipa-
vit, acquirat; illudq; per substitutum militaria ser-
vitia praestet.* Vult. lib. 1. de feud. cap. 4. n. 9. Ro-
senthal. cap. 3. concl. 4. n. 1. & 2. Sonsbec. part. 7. n.
23. Intrigl. quæst. feud. 54. n. 49. Diss. Hotom. ad
tit. 21. in verb. nec beneficium pertinet. & ad tit. 30.
in fine lib. 2. F. Zas. in Epitom. feud. part. 5. n. 64.
Niell. in disputat. feud. 2. thes. 6. lit. a. Boccr. in tra-
ctat. d. investit. feud. cap. 3. n. 146. & sq.

*XLVII. Deniq; feuda diximus accipere posse om-
nes, nullâ qualitatis observatâ differentia. Unde &
Muti, & Surdi, & furiosi, & mente-capti, & cæci
& alias imperfecti feuda accipient, & per substitu-
tum servient.* arg. l. 2. ff. de jurid. Sneidevvin part.
3. n. 107. Borchold. cap. 5. n. 50. in fine Sonsbec.
part. 7. n. 16. Vult. cap. 4. n. 11. Ros. cap. 3. concl. 8.
Intrigl. in tract. feud. quæst. 54. n. 77. Johan. Niell.
in disput. feud. 2. th. 6. lit. b. Boccr. in tract. de inve-
stit. c. 3. n. 134. Zas. part. 5. n. 66.

*XLIIIX. Furiosi tamen, mente-capti & prodi-
gi, quia illorum nullum est iudicium, nullus consen-
sus, ipsi quidem feuda per se accipere nequeunt; sed
cura-*

Incipit C. 2. de v. o.
curator illorum nomine accipiet. arg. l. 5. ff. de R.
Jur. l. 40. de R. l. 1. de v. o. ff. de v. o. l. 1. de v. o.

XLIX Alias quisvis qui iudicio pollet quiq; se propria auctoritate obligare potest, feudum vel per se ipsum vel per procuratorem cui hoc in mandatis dedit, aut cui liberam administrandi potestatem concessit, feudum accipere poterit. tit. 3. v. sed utrum lib. 2. Feud. Intrigl. quæst. 54. n. 66. Sonsbec. part. 7. n. 24. in fine Sneidevvin. part. 3. n. 107.

L. Verum n. vero ut ut regula superior generalis sit & indistinctè omnib. feudum accipere permittat: sunt tamen quidam quorum conditio talis est ut ab ea regula excipi debeant. Tales a. sunt Hæreticus, Apostata & Excommunicatus excommunicatione majori: Cum his n. quia omnis conversatio omneq; commercium Christianis interdictum est; certè ipsos fideles sibi audiūgere & beneficiis afficere haudquam licebit l. 4. C. de hæreticis. l. 4. C. de Apostat. c. 16. 19. 32. 33. caus. 12. quæst. 3. junct. tit. 3. §. 1. in pr. lib. 2. Feud. Intrigl. quæst. 54. n. 3. Petr. de Bella Pertica in tract. feud. cap. 4.

LI. Quib. rectè Bocerius annumerandum existimat infamē: Hunc n. feudum habere non posse, si scilicet militare illud sit, rationis est. Vide Bocer. in d. tractat. de investit. feud. cap.

3. n. 142.
F I N I S.

*Ad Ornatissimum ac Doctissimum
Dominum Respondentem*

SI steterit pandus Sylvæ venator in oris,
Nec repetendo *so! so!* commonetire canes,
Si sonet haud cornu, montumq; præalta volucris
Climata transfiliat, subsiliatvè pede;
Terribiles hastâ nunquam pertinget ad apros,
Sanguine nec Cervi commaculabit humum:
Sic doctrinarum scrutari mente recessus
Qui cupit, in Clarium nec cupit ire nemus,
Sed Sophies, Vulpis vitrum lambentis ad instar,
Ore procace procax exteriora sapit;
Fellitô mandet non fructus ille palatô.
Musarum, Aonias nec cumulabit opes:
Tumelius *GERLACHE* tuis juvenilibus annis
Utere, *Juridica* tempus in arte locans
Tu, *GERLACHIADE*, *Feudum* de jure, repandis,
Qui capisse queant, quiq; dedisse queant.
Perge ita, perge viam recto quam currere cursu
Capisti, *Juridicas* solvere perge *plicas*,
Perge, quid? *Herculeo*, scis enim, *doctrina labore*
Crescit, odit molleis impigra Divatoros

innoxidias assuebam

*Sebastianus Bragerus
Lobensteincensis.*

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv,







Farbkarte #13

B.I.G.



10
48

I FEUDALIS
 TATIO III.
 De
 NIS, DAN-
 ACCIPIEN-
 FEUDUM
 quam
 birante gratiã,
 VVitebergensium,
 ademia
 RÆSIDIO
 ULRICI HUNNII
 sis Hessi J.U.D.
 citij causa proponit
 S GENZACH
 urgeensis Saxo.
 Jun. horis & lo-
 solitis.
 TEBERGÆ,
 annis Gormanni.

